

87 78 60.
AD
ANATOMEN PUBLICAM
CADAVERIS FEMININI

IN
THEATRO ANATOMICO
LIPSIENSI

HORA POMERID. II.

D. XXIV. NOVEMBR. AN. M DCC XXVIII.

ET SEQUENTIBVS DIEBVS

SPECTANDAM

RECTOREM
ACADEMIAE MAGNIFICVM,
ILLVSTRISSIMOS COMITES,
REIPUBLICAE VTRIVSQUE PROCERES
GRAVISSIMOS,
GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS
ACADEMIAE CIVES,
ET OMNES ANATOMES ET CHIRVURGIAE
FAVTORES,

OFFICIOSE ET PERAMANTER INVITAT

D. AVGVST. FRID. WALTHER
ARCHIAT. REG. AC PROF. ANATOM.
ET CHIRVRG. PVBL.

über Morfall v. Frühjahrs.



Pasmis et doloribus pellitur
eliciturque ex vtero infans,
ac saepe praeceps consiliis
obstetrix, aut si imperita,
aut timida fuerit, neque par-
tum prudens iuuat, neque al-
tiorē vteri sedem, vaginamque, et quidem onere,
quantum in se est, leuat. Accidit inde, et vbi
multo grauiſſimoque labore puerperae eni-
tuntur, vel, quando ſecundinae, poſt partum, ma-
nu incauta extrahuntur, vt oſtium vteri inter-
num ſubſidat, procidatque vagina, et ex
vtroque factus tumor, aliquando maior
pugno, et externe promineat. Saepiſſime
poſt partum difficilem, aut eundem negli-
gentius curatum, ſolius vaginae ſentitur tumor;
ſed rariſſime cum ſecundinis totus violento mo-
do euellit vterus, ac ita prorsus inuertitur.

Nos minoris notae tumorem vaginae, ſed exi-

):(2

guum

guum vteri descensum, neque vero mobilem tumorem, neque medicabilem, quem nec par- tus, sed diuturnior morbus attulit, inter plura nunc commemorabimus; ea quippe suppeditatu- ri, quae nouissima inuitatione, ad videndum ana- tomen publicam percenseri, ob chartae angusti- am haud potuerunt; quoniam in vno cadaue- re omnia visa, omniaque ista anatome explana- ta fuerunt. Maxime autem organa, quae ad generationem spectant, in illo feminino cadaue- re vitiabantur. Primo labra pudendi valde turgida, et solitis triplo, vel quadruplo crassiora, turpiter inuicem dehiscebant, versaue a latere cum essent, laxitatem consimilem, in infe- rioribus vaginae vteri locis, tumoremque commonstrabant. Hinc magis ad vrethrae ostium accessisse, et subsedisse internum vteri orificium, cum labia amplius diducerentur, patebat; orae etiam vaginae, et ambitus, rotundis vlcerebus, ac pisiformibus, indeque re- lictis lacunis exesa videbantur; notabileque fo- ramen in fine pudendi ad anum ducebat, quod ex alio vlcere serpente, ac sinuoso, et calloso originem traxerat. Nam pollicis inde inter- uallo, in vnum centrum, complures sinus, ab omni parte inferioris vaginae conspirabant, qui pudendum depauerant; inter quos ma- ximus

ximus

ximus erat ille ductus, qui in anum penetrabat. Praeter hoc vlcus fistulosum, et antiquum, etiam altioribus locis, in ipsa vagina, vteroque, plura occurrerunt, quae lustrasse oculis, in primis praxin medicam atque chirurgicam exercentibus, haud indignum fuisse opus, censemus. Sigillatim, fluoris maligni albique fontes cognouimus, scilicet, tumores spongiosos, ceteroquin assidue madentes, nec ita elatos, cum dispersis subinde rotundis vlceribus, quorum sinubus vteri vagina, et, prae ceteris locis, orificii interni, valdeque tumidi ambitus, denique ipsa vteri ceruix exarata erant. Quare os vteri, vehementer tumens, ac molle, pollicem hiabat, et ipsum vterum tres pollices a loco suo naturali recessisse, et magis versus vrethram appropinquasse, sic visum ab hac parte fuit. Ad haec vteri ceruicem solito longiorem, et magis patentem, magisque erugatam, sed scirrhosam: vteri vero corpus, naturali magnitudine nonnihil amplius, sed iuxta recti intestini longitudinem, aliena et scirrhosa quadam interueniente substantia connexum, insuper, prae mole et nexu rerum, quas modo describemus, inclinatum, ac nonnisi pollicem circiter depresso, in pelui inuenimus. Sequitur enim nunc rerum ex morbo in pelui confusarum descriptio. Ac

primum tuba Fallopiana a parte dextra, triplo naturali crassior, et scirrhusa facta apparuit, et ipsa, intercedente oui gallinacei magnitudinis hydatide, quæ in ligamento vteri lato erat, ab ovario seiungebatur: nec vero tuba fimbriata, sicut in naturali statu fieri solet, desinebat; sed ea penitus extremo suo, quod pollicem crassum fuit, cum ovario coaluerat. Eandem vero magnitudinem huius lateris ovarium retulit, quod nonnisi saccum, tunicis valde crassis cinctum, seroque impletum, repræsentavit. At sinisterior tuba admodum intorta, perinde ac naturali multo crassior, sed breuior erat, et superius valde scirrhusa, cum laeuo ovario in vnam difformem, ac grandem massam, compactamque vertebatur. Tuba huius lateris, tantum inferioribus locis serum concludebat, et ipsum ovarium, ab interna parte tumorem, prae dexteriore minorem retulit. Nil nunc de intestino colo, quippe hinc inde præter modum contracto, nil quoque de tenuibus intestinis, longitudine consueta multo breuioribus, aut de omento dislocato, et hinc inde conuoluto, dicamus. Stomachum reperimus, sanguine spisso, et a venae portae ramis accepto, impletum; qualem etiam ante mortem femina largiter euomuerat. Proinde hepar, et durius, et

et

et scirrhofum, ac decolor visum, ultra limites
consuetos ad hypochondrium sinistrum, ac su-
per stomacho extendebatur, et ipsum prope
splenem, propriis, sed alienis cum peritoneo
vinculis connexum visebatur; etiam lien duplo
naturali maior, et asper tuberculis erat. Folli-
culus felleus parum bilis, et admodum spissae,
cum duobus calculis angulosis, ex atro virenti-
bus, et leuibus, ac magnitudinis castaneae nu-
cis exilioris, in se continuit. Hepar cum dia-
phragmate, tenaci substantia intermedia con-
iungebatur. Glandulae ad pisi magnitudinem
accedentes, et innumerae minores, in perito-
naeo, et ab omni eius parte dispersae, nota-
bantur: Pulmones firmiter cum pleura, et in-
ter lobos, cum pericardio, arte cohærebant.
Cerebrum et medullam spinalem, neruosque
ab vitio immunes cognouimus: et morbum
conuulsium potius, inter cruciatus ante obi-
tum in misera excitatum, quam a proprio ner-
uorum vitio ortum fuisse, opinati sumus. At-
que plura hac anatome publica cum sectioni-
bus cadauerum sanorum hominum comparare
nobis licuit, et illa nunc afferre voluimus, quan-
doquidem de miserae morbis differendi occa-
sionem dederunt. Alia anatome publica iam
cadauer femininum cultro subiicere, et de sin-
gulis

gulis humani corporis partibus luculenter dicere meditamur. Quamobrem *Rectorem Academiae Magnificum, Comites illustrissimos, utriusque Reipublicae proceres grauissimos, et Academiae Ciues generosissimos, ac nobilissimos, et omnes Anatomes Fautores* frequentes habere Auditores gratissimum nobis erit. Tesseras consuetas in Theatro Anatomico horis ante meridiem ab hora 9. ad 12. alias, pro praeparationibus, alias, pro demonstrationibus partium spectandis, Auditores sibi comparabunt.

LITERIS TITIANIS.



Chem. 269 30